



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

1. Philemon & Baucis multarum virtutum exemolum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

& ibi rei novæ eventum operiri; viam præeunt Diſ. Pœnè evaſerant in ſummum, cùm vident totum oppidum aquarum multitudine obrutum, & omnia in lacum verſa, & ſubmerſa; ſola reſtabat domuncula, quam incoluerant. Hanc dum triſtes, & attoniti de civium ſuorum interitu, circumſpiciendo requirunt, ecce tibi! agnoſcunt eam ſubitò in elegantiffimum, atque edito loco conſtitutum templum mutatam eſſe. Facultate à Dijs quilibet optandi oblata, id unum expetierunt votis, ædis ut illius ſacræ præſtites uterque eſſet, nec alter alterius morti ſuperſtes, tumulare neceſſe haberet conjugem. Annuit optatis Jupiter, fœditque, ut poſt decurſum fatalis ævi ſpatium, Philemon quidem in *ilicem*, Baucis in *tiliam* converteretur, perpetuòque virent ante fores templi, fertis deinceps & corollis ab incolis, adveniſque colendi.

Ethica.

I. (a) Poëtarum fabulas non paucas è ſacris fontibus derivatas eſſe ac depravatas, oſtendunt Eusebius, Clemens, Joſephus, Lactantius, alij. In hoc figmento ſub perſonis Jovis & Mercurij, hoſpitio exceptorum à Philemone & Baucide, adumbratur hiſtoria Loti Gen. c. 19. qui binos genios cœleſtes, habitu ſpecièque juvenum peregrè adveniendum, humaniſſimè in domum ſuam invitavit, tractavitque. Neque tamen eſt neceſſe commentis poëticis auctoritatem à S. Scriptura accerſere; mores etiam ex fabulis, natura & ratione duce, informantur. E præſenti fictione diſcitur. Primò. Quanta ſit mortalium durities, quanta adverſus ſuperos ingratitude. Ovidius refert de Jove & Mercurio:

Mille domos adiere, locum, requièmque petentes:

Mille domos clauſere feræ.

Deinde docetur, quanta virtus ſit, *paupertas benefica*.

----- tamen una recepit

Parva quidem ſtipulis, & cannâ tecta paluſtri.

In vili hoc tugurio quanta officiorum promptitudo, quàm illuſtre in obſcuris tectis hoſpitalis benevolentiaſtudium!

Membra ſenex poſito juſſit relevare ſedili,

Quo ſuper injecit textum rude ſedula Baucis,

Inde foco tepitum cinerem dimovit, & ignes

Suſcitat heſternos, foliſque & cortice ſecco

Nutrit, & ad flammæ animam perducit anili.

I i

Quòdque

(a) *Multiplex virtus Philemonis & Baucidis, pauperum ac hoſpitalium conjugum.*

Quódque suus conjux riguo collegerat horto
 Truncat olus folijs: furca levat ille bicorni
 Sordida terga suis, nigro pendentia tigno,
 Servatóque diu refecat de tergo rem
 Exiguam, sectámque domat ferventibus undis.

Tertiò eminet híc etiam *paupertas patiens*: Baucis & Philemon.
 ----- paupertatémque ferendo
 Effecere levem, nec iniqua mente ferendam.

Quartò, *paupertas concors*:
 Tota domus duo sunt: iidem paréntque, jubéntque.

Hinc eorum hoc votum:
 ----- quoniam concordés egimus annos:
 Auferat hora duos eadem.

Quintò *humanitas & comitas* addita benevolentia liberali:
 ----- super omnia vultus
 Accessere boni, nec inops, paupérque voluntas.

Sextò, *Relata à Superis liberalitati gratia*:
 Interea toties haustum cratera, repleri
 Sponte sua, per séque vident succrescere vina;
 Attoniti novitate pavent, manibúque supinis
 Concipiunt Baucisq; preces, timidúsque Philemon:
 Et veniam dapibus, nullisque paratibus orant.

Septimò, *Pœna inhospitalitatis & inhumanitatis*:
 ----- flexere oculos, & mersa palude
 Cætera prospiciunt, tantùm sua tecta manere.

Octavò, *Repenfus pietati honos*:
 Illa vetus, dominis etiam casa parva duobus
 Vertitur in templum: furcas subiere columnæ,
 Stramina flavescent, auratáque tecta videntur.

Notò, *Perennitas impensè beneficij*, semper florentis, & posterorum me-
 moriâ celebrati. *Lex* apud Ovidium oculatus rei testis:
 ----- equidem pendentia vidi

Serta super ramos: ponénsque recentia, dixi:
Cura Deum Dij sint, & qui coluere, colantur.

Id est, quibus Dij, Deorúmque cultus cura fuere, & ipsi in Deo-
 rum numerum referantur.

Jam hæc morum excerpta, confirmemus pluribus.